

❖ C 2

15380



ced

Sammelband

III



## C A R M E N

S C R I P T U M

In Honorem nuptiarum Optimi, ac  
 Honestissimi viri, IOHANNIS F. I.  
 SELING, Cuius in montibus niuosis laudatissimi,  
 matrimonium contrahentis cum pudiciss. virgine ELISA-  
 BETHA, Filia LVDOVICI PVDEVVITZ ciuis & merca-  
 toris Fribergensis VI Idus Maij Anno

C I D I D L X X I I X .

Autore Alexandro Spanfel Melanurino.



Lipfiæ Iohannes Rhamba excudebat.

*Egipius schönerer dono an-  
 ab Arthur 9 A-4-54*



Distichon continens tempus  
Nuptiarum.

D E V S.

Vos ego IVngo, VoLo, nVLLI soLVantVr: at ILLI  
Vah IBI, qVanDo VLtrIX DeXtra fLageLLa qVatIt.

Tetraſtichon ad Sponſum: in quo alludi-  
tur ad Nomen HELISABES.

**Q**uam REX cognouit ſuperum, iuravit opusq;  
Eſſe ſuum, hæc greſſus ad tua tecta rapit.  
Ergo IOHANNES non dedignèris, & inſtar  
Quantum erit in te vno, te quoq; habere velis.  
Sic expleſſe animum, ſic & ſatiſſe iuuabit,  
Munere quem tanto Numinis aura beat.  
Et tunc, fabor enim, dices: agnoſco potentis  
Gratus & amplector munus opusq; DEI.

Hexaſtichon ad Sponſam: in quo alludi-  
tur ad Nomen IOHANNIS.

**S**uaus ELISA gradum celera rumore ſecundo,  
Ac intra IANI tecta beata tui:  
Sacraſti certè quæ Numinis aura beavit,  
Vt cornu poſſent diuite fundere opes,  
Non eadem placido comitatur Gratia vultu  
Quemlibet: hæc cælo, non aliunde venit.  
Quæ non humani ſunt, omnia munera, partus  
Solutis: ergo veni, nec trahe ELISA moras.  
AVRA potens rerum quoq; te modò dulcis adumbret,  
Mater ut à natis chara vocère breui.  
Maius opus Domini hoc, & gratia maior habenda,  
Quàm tibi ſi dederit, quas habet orbis, opes.



## C A R M E N .

**G**ens raptò viuens qua tempestate futuræ  
Se prædæ accinxit, secuit spem corde, quod esset  
Mercibus impletas puppes spoliare potestas  
Nauali rerum dominis certamine victis:  
Hanc contra auxilio subiit cum Castore Pollux.  
Ante quod infestum, mare defendere, simulq;  
Viribus aduersas iunctis strauere cohortes:  
Sic furum inuito est victoria parta maniplo.  
Ex illo peperit magnum sibi nomen uterq;  
Indigetum: maris & dominos coluere secantes  
Classe freta, ac fluctus vastos Aquilone secundo.  
Dein Pollux Amycum ( qui se de gente ferebat  
Bebrycia, ponens venientibus omnibus vnus  
Cæstu ex insidijs valido certamina dura, )  
Fraude explorata necat auxiliaribus armis.  
Postea cum Theseus, ( iungens sibi primus amores  
Virginis Argiæ, legitur quæ rapta bis vna,  
Atq; bis exitium crudele parasse duobus )  
Fortè aberat, quod idem testentur oportet Aphidnæ:  
Ecce recepèrunt felices ambo sororem.  
Deniq; cum Castor fatis ereptus iniquis  
Esset, & amisso tibi fratre dolentius esse  
Nil potuit Pollux: ( ea rerum nuncia fama  
Vestrarum nostras etiam peruenit ad aures,  
Et quem vos inter sanctè coluistis amoris: )  
Tunc desiderio caluisti fratris in umbram  
Mutati tanto, ( quia non loca mortis adibas,  
Immortalis eras, ouoq; creatus eodem,  
Quo Germana soror fertur prognata fuisse )



Vt non desieris victus pietate, rogando  
Instare, aeternos donec promitteret annos  
Iuppiter & fratri: mortem te malle pacisci  
Fraterna addideras redimendam morte, datamq;  
Partiri vitam, simul & quemcumq; laborem,  
Scilicet ille foret quamprimum à morte reductus.  
O magnum veri monumentum, & pignus amoris,  
Vis & amicitiae nostro rarissima seculo.  
Ergo pijs precibus facili DEVS annuit aure,  
Inq; polis sedem placidam sibi iussit habere.  
Hic nunc quando oritur, mora non est, occidit ille.  
Hac ita vel non sint, vel non omnino probentur  
Vera: tamen certum est, veteres documenta dedisse,  
Ius ut amicitiae, & finem qui nescit habere  
Non ullumq; modum, verum coleremus amorem,  
Dum regeret vigor hos artus, & Spiritus ossa.  
Rebus in aduersis, rerum cursuq; secundo  
Tantus amor, fratresq; decet concordia tanta.  
Cum leuet hinc illos sublimes fama perennis:  
Non minus hos etiam nomen, laudesq; manebunt,  
Qui quondam steterant coniunctis viribus ambo  
Vertunum contra, sedem qui vallibus imis  
Legerat, atq; nouam faciem mentitus, & ora,  
In varias poterat se transformare figuras.  
Prisca superstitione coluit, coluere priores  
Quem nostri, in melius quid enim mala verterat olim.  
Nec mora post aliquot mutatis rebus aristas  
In noua cum mente est mutata corpora versus:  
Nunc natura viro contraria pristina plane est.  
Namq; in deterius rapit omnia pessimus acta.  
Qualiter afficitur resonis Incudibus intra

Pectora



Pectora concipiens: ita postea fulminat ore,  
 Facta infecta boans, rursus rataq; irrita, lucem  
 Commiscens tenebris: cælo solum, & ignibus æquor,  
 Frigida, quæ pugnant, calidis, humentia siccis.  
 STRIGOSVM MONSTRVM: quod corpus stringere obæ-  
 Et solet horrendum sub cecam stridere noctem. (sum,  
 Sed potuere DVORabidos compescere mores  
 Accincti sacro, quod erat penetrabile, telo.  
 Hostis ut excepit libratum missile, corpus  
 Squalluit ecce statim Campano debile morbo.  
 Quos alit, ecce alios, spes nummi iniecta labore,  
 Brontesq;, Steropesq;, & torua fronte Pyracmon,  
 Membra omnes nigri, nuda albi lumina, dentes,  
 Fratibus his etiam mala Lemnia ferre parabant.  
 Hinc illi seuire animis, omnemq; mouere  
 Incensi lapidem, massaq; laceffere ferri.  
 Verum quòd fuerant freti cælestibus armis  
 Hi, quamuis ea vis exilibus, atq; potestas  
 Corporibus, qualis rabidis Cyclopibus esset,  
 Nulla foret, superis tamen auxiliantibus ambo  
 Omnibus inuitis palmam superando tulerunt.  
 Namq; fames domuit tales, & turpis egestas  
 Tempore post longo: Sic semper Rector Olympi  
 Differt, non aufert delictis præmia digna.  
 Quando moras, quas ille trahit, grauioribus inde  
 Compensat pœnis, iræ cum laxat habenas.  
 Porrò aliud maius: quod nomine dicitur IRON:  
 Monstrum hominis, ferale, ingens, informe, ferumq;:  
 Filia quod tenebrosi EREBI, Noctisq; profunda  
 Terræ olim dederat communes pondus in auras:  
 Vipereum quod idem puro pro lacte venenum



*Suxerat INVIDIÆ LIVENTIS ab ubere matris :*  
*Corpore in insano mens est malesana ferocis :*  
*Temperies moderata fuit quia tempore nullo*  
*Mentis, & in toto contraria corpore hebescent*  
*Membra, ac dissimiles sese benè habentibus artus :*  
*Murmure misceri ventris ieiunia auari*  
*Audires, raro os siccumq; haurire liquores.*  
*Si capit ore, capit cerealia munera parcè,*  
*Parcius & poclis sitientibus admouet ora.*  
*Et quamuis feruet stomachus vinoq; ciboq; :*  
*Attamen hic idem malè digerit, & disponit.*  
*Quælibet ingrati res, ac alimenta saporis,*  
*Expulit ex omni torpor, qui venit in artus,*  
*Pectore leticias alijs gaudentibus : horum*  
*Latè non potis est imitari gaudia vultu.*  
*Imo tristis homo, remouet cui cura soporem,*  
*Fert agrè caput & seruat vestigia lentè,*  
*Non nullo aut raro corpus sudore madere*  
*Sentit, & hic idem sæpe oscitat, aut sternutat.*  
*Brachiaq; extendit longum captantia collum.*  
*Pallor in ore sedens animum designat opertum.*  
*Qui vigor est alijs, non sensibus illius idem:*  
*Hosq; premunt hebetes obliuia plurima rerum.*  
*Os fædat sputum sordens & pallida labra,*  
*Perq; fluit nares, oculos, auresq; cerebrum.*  
*Adde, (quod haud minimum est) atro lita verba veneno:*  
*Felle iecur : stomachum, quem nausea ciuit aborta,*  
*Fauce eructantem cruda indigestaq; frustra.*  
*Tæctus odore graui (de luce carentibus antris*  
*Namq; est iactatus, vitæ, ingratusq; salutis)*  
*Aut iuuenis, puer aut in primo extinguitur æuo.*

Cyrene



Cyrene generans Basiliscum, ostendere bis sex  
(Hæc ea fama) potest digitis, non amplius illum  
Maiorem: macula caput est candente notatum,  
Insigni credas quodam Diademate cinctum.  
Sed torquere ferunt fibratis sibila linguis  
Stridula, serpentum quoduis genus atq; fugare.  
Nec sua multiplici flexu vestigia ferre,  
Quæ solet intortos anguis sinuare per orbes:  
Corporis erecti se quadam mole mouere,  
Atq; viam pedibus terere atq; incedere celsum:  
Contactu frutices, afflatu cuncta necare  
Immundo, atq; herbas exurere, rumpere saxa.  
At mustellinum perhibetur fortius esse  
Virus, & exitium Basiliscis triste parare.  
Namq; exploratis animo solerte cauernis  
Sola interficiunt confectos tabe, vigentes  
Et sic Ictides vincunt, tutaq; triumphant.  
Are dissimili sic non ratione domari  
Hoc monstrum poterat. Quid enim prodire cauebant  
In conspectum, ater voluit cum ledere liuor?  
Cumq; venenato est conatus carpere dente,  
Intuituq; ipso molitus utriq; nocere.  
Et natura fuit sortem miserata duorum  
Fratrum, irata fero monstro litemq; diremit.  
Iron correptus modò tabe recessit ab armis,  
Federe, quæ rupto sine caussa sumpserat olim.  
Morbum nunc intus, quo conflictatur edace,  
Deuouet, exacuens nocuos in viscera dentes.  
Porrò ait in medica præstans Podalyrius arte:  
Spes longæ vitæ non hîc est vlla, vel illa  
Parua, licet seruem ad tempus medicamine eundem.  
At liqui-



At liquidi tamen hic corrumpitur usus oliui.  
Nam talis morbus non est curabilis unquam.  
Gratificor sed ego, proij, auro pharmaca dono:  
Illius & coniux enixibus edet in auras  
Parturiens binos, lathalia monstra, Gemellos,  
Sarcasmm, & Sannan, patre deteriora futura.  
Tunc horum moneo & scabiem volo quemq, cauere.  
Quod verò ad fratres, superesse diutius ambos  
Est visum superis, ut ab his exempla duobus  
Virtutum caperent, & scirent posthuma turba,  
Vnam mentem, unumq, fuisse duobus amorem.  
Deniq, tempus erat, Geminum quo lucidus Astrum  
Phæbus equis ingressus erat peragentibus æthran.  
Conuenere duo, fidissima pectora, fratres  
Rursus, & unus erat Philetærus, & alter Iolas.  
Hic de Pollucis, de nomine Castoris ille,  
Grandior ille, sed hic fuerat iuuenilior annis,  
Impatiens freni, genus & muliebri perosus:  
Illum multarum sanè experientia rerum  
Commendabat, ita ut fieri solet inter amicos.  
Rursus hic institerat longis hortatibus (vni  
Nam benè uellet) apud Philetærum & sæpè rogârat,  
Hoc persuaderi tantum pateretur, ut illud  
Aggrederetur opus, Canaæ quod CHRISTE probasses:  
Cumq, una reliqua sociaret gaudia vitæ.  
Tunc fore felicem, dixit ter & amplius illum,  
Atq, leuatuos superos quemcunq, laborem.  
Et uoluit, tentans paulò maiora, sacratæ  
Scripturæ exemplis rem declarare probandam.  
Sed prior audiri petijt Philetærus, honestas,  
Et iustas causas quia necere uellet. Amicis

Quis



Quis faciles dictis aures praeberere recuset?  
Ergo ait: o frater quae lux hodierna refulsit  
Candida, nonne eadem quondam fuit atra duobus?  
Certè equidem memini, mea res fuit acta. Quid autem  
Heres admonitus toties? reminiscere saltem,  
Quando sinistra caua praedixit ab arbore cornix?  
Iamdudum volui sacris insistere rebus.  
Vt semel in thalamos animum, mentemque benignam  
Accepi, semel ut me rustica Catta fefellit.  
Tu tibi promissi certè, & sibi conscius aether  
Illius est, & idem testantur sidera pactum.  
Nec verò inficias iuit, quae dixerat olim.  
Neu me desertam, neu te patièris inultum,  
Dissidium si quando velint nos inter iniqui,  
Consensumne alij studia in contraria raptent,  
Testis erit locuples, oculis qui pectoris hausit  
Singula, quique olim iudex inquireret in omnes.  
Sum tua, tu meus es, tua dicar oportet, & unus  
Rem vertente DEO benè binos lectus habebit,  
Omnibus inuitis Tutore, & fratribus, ipso  
Vel te Codre etiam studiosi nominis hoste.  
Nunc mihi communis sententia vellicat aurem:  
Lusi saepe procos, & eosdem ludere rursus.  
Sic in fœdis fragam felix illudo vicissim.  
At salua mihi nunc speciosi vel rosa pulchra  
Nominis, aut generosus equus cui caussa Celetes:  
Cui proprium referunt baccata monilia, saepe  
Aut qui fronte noua nitidus micat unio nupta:  
Tu constans, pia si voluissent fata, fuisses,  
Et mea mansisses, & ego tuus unicus ardor.  
Iam sed amica vale, pia, docta, pudica, modesta,

B

O ma-



O matronarum decus, exemplumq; paterni  
Vsq; soli: quamuis meritis indebita nostris:  
In bonitate DEI tamen est spes nostra potentis.  
Multiplici hic certè reddet tibi, & omnibus olim  
Fœnore, quos ægro iuuit fecisse benignè.  
Hinc à coniugio, quo tempore cunq; reuoluo  
Verba leuis sexus, animus mihi semper abhorret.  
Nunc, oculis mihi qui plus es dilectus Iola,  
Temporis illius referam spectacula porrò:  
O si vana forent, aut in meliora reflectat,  
(Somnia quando putes) æquus moderator Olympi.  
Est antiqua domus, vel huic angusta celebre  
Faux nomen, vel clausa dedit. Tribus ille superbit  
Culminibus cælo ductis, totidemq; fenestris.  
Quòd si per primam noctu prospexeris, ecce  
Dextra à parte locum gemino sub monte tonantem,  
Turbine fumantem piceo, rutilaq; fauilla,  
Atq; globos rapidas flammaram attollere in auras.  
Qualis conspicitur resonis in vallibus Ætna  
Exercere rudem nunc hos, & forcipe ferri  
Vertere massam: illos inter se brachia lassa  
Tollere vi multa, ac cum glande excurrere cernas.  
Insuper & rerum cupidus mirère nouarum,  
Arte globos fieri varia multoq; labore,  
Oenea quos tormenta vomunt, agitantq; per auras  
Ingeminando ictus: cælum tonat omne fragore.  
Quod DEVS inuentum Monachi, stygiq; Tyranni  
Et pestem placidis terris auerte benignè  
Hostis in exitium aduersi, populiq; rebellis.  
Stabit in alterius qui forsàn parte fenestra,  
Cernet is oppositam geminis cum turribus arcem,

Ultima



Vltima pars albi, crocei sed prima coloris  
Præfixis condent caput inter nubila signis.  
Turre sub hæc equites olim latitasse rapinis  
Ter denos tacitis inbiantes dixit, & antro  
Incola Primæus cataphractos uidit in ipso.  
Narrantur simili hæc ratione nepotibus, autor  
Quis fuerit cultorq; prior, cum queritur, urbis  
Quod rudus ante vetus, monstrosum ambagibus antrum  
Imperio Ensiferi pulsus prædonibus ecce  
Surgere paulatim cepit, meruitq; vocari  
Nobilis arx hodie: nigra præterlabitur unda,  
Nomine mox eadem mutato Molda vocatur.  
A leua abrupti montes, & multa fodina  
Venarum ferriq; rudis bonitate celebris.  
Non secus admoto comburens igne cucullos  
Cernit, ut huc illuc rutilas errare fauillas,  
Osculaq; applicito vicibus dare plurima collo,  
Ignis & ut fatuus nunc huc, nunc voluitur illuc,  
Cernimus & veluti stellantes sæpe volatus  
Vespere, vel noctu ut lucent lampyrides ille:  
Plurimus in tumidis ita sæpe metallicus errat  
Montibus, & ferri riuos arisq; metalla  
Rimatur venis, partes intentus in omnes.  
Collucentq; procul lychnis pendentibus intus  
Compactæ asseribus, casula rigidisq; columnis.  
Deuenère locum (quis non miretur) eundem,  
Primus Asotus, & huic oriens à faucibus humor  
Plurimus in mentum setosum & pectora fluxit.  
Helluoq;, Oenophorus, cum fratre Catillo, Baratro,  
Gurgulio, Bibulus, madidusq; Popino, Neposq;  
Quos inter princeps fuit ille Tricongius haustu



Qui genus hoc liquidum poterat siccare ter vno.  
 Quapropter proprium fraudauit origine nomen.  
 Ordine, non certè postremus in arte bibendi  
 (Verum Agamus) statuit cratera Potitius amplum.  
 Nec mora, poscuntur cyathi, danturq; capaces:  
 Ille Scyphos, alius spumantia pocla ministrat.  
 Talia dum fiunt: interuenit ecce viator  
 Aridus: illa leuans barbam palma increpat ore,  
 Atq; ait: haud adeo sine numine credite diuùm  
 Iure sodalitij veteri, & mihi sanguine iuncti  
 Conuenisse puto vos hìc: mihi pandite quaeso,  
 Quis status ò rerum? cuiuslibet expeto vitæ  
 Nosse genus. Socialis amor non ima cucurrit  
 Ossa per? an thalami iuncti estis? siue soluti  
 Vinculis? hoc saltem mihi significate benignè:  
 Non mihi de quouis constat. Peregrinus ab oris  
 Huc nuper redij longinquis. Dicite quaeso:  
 Nos veniam, & prompti dabimus sermonibus aures.  
 Tu prior esto Nepos, dein ordine quisq; sequatur.  
 Quod petis, ille refert, faciam, atq; est talibus orsus:  
 Insimulare DEVM culpæ, vel criminis auit  
 Autorem nemo, fateor, mihi nupta SVINA est,  
 Quæ sue matre eadem mulier prognata videtur.  
 Plena luto domus est, in eo se immunda volutat:  
 Non modus, aut ordo rebus: sine corporis vllò  
 Ornatu viuit. Fimo pinguescit in ipso.  
 Hanc susdeq; habeo, donec lutulenta putrescat.  
 Alter: in uxorem duxi de nomine Vulpis  
 Vulpinam: nihil est omnino boniue maliue,  
 Ista quod ignoret, vel non exploret abunde.  
 Hoc genus vt prauum pro tempore, idemq; probatis  
Moribus



Moribus est. vereor ne percita forte quid ausit.  
O caput inuisum, sequitur qui tertius, insit:  
Anne tuum referam nomen? putet esse Caninum.  
Hic quid agam cupies audire, & scire proterua?  
Acriter elatrat, gratus licet afforet hospes.  
Idq; perinde facit, licet illi blandiar, ades  
Continuis malesana tamen latratibus implet.  
At caput interdum minuo, vibice flagello  
Nunc tumida corpus: nunc accipit illa secundum  
Aures vulnus hians, & inundant sanguine mala.  
Hanc odi, ut verum fatear, cane peius, & angue.  
Fœdere (quartus ait) iuncta est mihi filia terræ.  
Illa quid ex usu, quid non: est nescia planè.  
Vnum nouit opus, dare fercula lauta palato.  
Tempore brumali, Caurisq; frementibus aer  
Densior ut steterit, iubet arida subdere seruas  
Ligna focis. Quando fornacibus aestuat ignis,  
Admouet & sellas propius, siccataq; lagenas,  
Ignauos donec tandem sopor occupet artus.  
Proximus huic: uxor, qua nescio, sorte Marina  
Contigit, in cunctas mulier mutabilis horas.  
Fronte exporrecta nunc hoc ridere uideres  
Seq; hilarem præbere die, qui uiderit hospes,  
Laudibus haud illam nullis extolleret, imò  
Adderet hæc etiam: melior, nec honestior esse  
Vlla potest: equidem uoco terq; quaterq; beatum,  
Qui tali fuerit lecti consorte potitus.  
Talis at hic esset quando, sentiret amicus  
Longè aliter, quoties bone Iuppiter acta furore  
Precipiti, pote non motos componere fluctus.  
Ante uelut, tentem circumdare colla lacertis?



Sic, canis ut circa catulos infrendet, & ora  
Ut stimulante fame vasto ferapandit hiatu.  
Non hostes habet, aut ullo discrimine amicos.  
Utq; mare aestiuo tranquillum tempore motus  
Claudit, & hinc nautis pertentant gaudia mentem.  
Rursus at indomitum vastos ad littora fluctus  
Voluit, ut incubuere Nothus Zephyrusq;, furentes  
Turbine, & irato perflant loca qualibet ore:  
Nauibus interitum, mortemq; intentat atroci  
Vultu presentem nautis: eadem illa maritæ  
Est natura data: Diuûm pater atq; hominum Rex,  
O miseri miserere viri, miserere paterna  
Pro bonitate, mihi vel tellus ima dehiscat  
Optem, vel potius voret atra Charybdis hiatu  
Immani sociam, & pelagus simul omne laborum.  
Huic flauï volitent humeris à vertice crines:  
Temporaq; implicita hinc gemmis baccisq; tumescant:  
Inde Adamas micet, & media ardens fronte Pyropus:  
Chrysolithus (regalis honos) qui lumine flauus:  
Sint digitis gemma & preciosa monilia collo:  
A capite ad talos auri argentiq; crepantes  
Pondere surgenti vestes & murice tineta:  
Ex ipsa constet Graia Sicyonis aluta  
Calceus, haud rarò quamuis utatur utroq;  
Me tamen haud unquam tali dignabor honore,  
Nec verò optabo, superesse diutius illam.  
Sextus: vado, vale Cineraria, te mihi mystes  
Connubio iunxit, propriamq; dicauit habendam:  
Te sibi nunc mystes habeat, seruetq; relictam.  
Hac cinere & doſso est asini prognata profectò.  
Quodq; magis doleo, putet & me dicere, nulli

Non



Non vicio imbuta est, vereor desuescat ut illa.  
 Certè non ad opus faciundum accingitur ultrò,  
 Ni verbis, cogasue minis, aut verbere duro.  
 Qualis auara fuit gula Aëllus: quæuè Celeno  
 Harpyiæq; aliæ fuerint, ita condit in aluum  
 Quelibet: aut furtim, populoûe vidente perinde est:  
 Inq; thori partem recipit periura iugalis  
 Quemlibet, & violat (pudor heu) socialia iura.  
 Septimus: Est uxor mihi Mustelina, videtur  
 In Mustelarum se partes scindere origo.  
 Triste quod & miserum genus est, omniq; remotum  
 Acultu: nihil huic pulcrum vel amabile, nilq;  
 Iucundum, verbis & sollicitata futura  
 Spe sobolis, precioq;, negat regna ignea regna.  
 Cyprigenæ, per quæ sunt connubia firma.  
 Quinimo furibunda virum fastidit, & infert  
 Furando, quæ mox vicini damna queruntur.  
 Illius in patinis animus mensisq; paratis  
 Iamdudum, quodq; imposuit Cereale sacerdos  
 Libum libandum Superis, in viscera condit.  
 Hostiaq; ingluuiem haud compesteret vlla profundam.  
 Nec verò transibo meam, tacitamue relinquam,  
 Incipit octauus, poscit quando ordo, IV B A T A M.  
 Nomina conueniunt nonnunquam rebus iisdem.  
 Conductas famulas non hercle laboribus urget.  
 Porrò cum Cererem frangit caua machina, tostam  
 Non leuat vlla molam vel rarum dextera cribrum.  
 Ne forte inficiat faciem fuligine nigra:  
 Et furnum solet, & sordes vitare cauendo.  
 Accidit, ut maculis quoq; conspurcata sit atris:  
 Pallet, & unguentis, postquam abluit, ungitur vno  
Terue



Terue quateruè die, faciemq; decòrat honestam.  
 Promissos semper percurrit pectine crines.  
 Nec rara est folijs halantum gratia florum.  
 At verò dolor est redamari non ab amata:  
 Est: nisi sit prauior, si quando coegeris vllam,  
 Vt redamet, nec quando voles, ardescat amando.  
 Sed quis ad extremum non hoc tabescat amore?  
 Hac, similesq; aliæ cunctis spectacula sunt.  
 Cum multis, amor hic quanti mihi constat, ematur?  
 Et quod in insano nullus, scio, cernat amore.  
 Siq; negent alij, fateor, furor egit amantem.  
 Hunc autem regem, vel oportuit esse potentem  
 Diuitijs, animum qui tantum oblectet in illis.  
 Nonus ait: socij S I L O est mihi fœdere lecti  
 Iuncta, parem nunquam generauit terra tulitue.  
 Iuppiter exitium parat hac mortalibus: vllò  
 Nam nequeunt grauius tentari pectora damno.  
 Huic dedit aspectu faciem natura proteruam,  
 Nunquam non totam fertur rabiosa per urbem.  
 Nulli non irrisa viro: internodia nulla  
 Ceruici, latisq; humeris, mirere: nec vllum  
 A collo spacium, mento ipsi pectus adheret.  
 Corporis anterior pars est robustior, atq;  
 Vergit in exiles partes postrema: duorum  
 Vix tegit ossa cutis femorum: quibus itq;, reditq;:  
 Credo pedes ausit ridere Ciconia cernens.  
 Consilij, tacito quod versas pectore, certam  
 Vt facias, rogitat, neq; desinit illa rogando.  
 Voti facta sui campos, recludit apertum,  
 Edocet atq; S V I S I M I L E S longo ordine rauca.  
 Simioli instar homo, toto non ridet in anno:

Non



Non meritis implet, neq; gratia redditur ullis.  
Illius est cuius mens facto obnoxia turpi.  
O infelicem, similis si forte marito  
Contigerit, qualis (dolor heu) mihi contigit uxor:  
Perdere cur? cuius nos munere uescimur auris,  
Cur inferre faces Siculus, flammamq; voraces,  
Rex maris, & vitreis inuoluere noluit undis:  
Terra nec, ut raperet, vasto discessit hiatu?  
O manes, & quos capit ardua regia cæli  
Stelliferi: quibus aut hæc sunt mortalia cura:  
O ultrò placidi miserescite coniugis huius.  
Tum verò decimus duro fuit ore locutus.  
Cum tribus exegi uiduas sine compare noctes  
Lustris, sic reliquos mens est explere deinceps  
Annos. Sed prius hæc ignoscite quæso roganti:  
Nam loquar expertus, quæq; euenere relatu,  
Digna canam: memori mea dicta reponite mente,  
Fœmina sancta animum rarò reperitur in orbe:  
Fœmina sæpe adem specie pietatis adiuit:  
Fœmina, quæ bona, non semper venit omnibus horis:  
Fœmina mille artes tenet, & te mille docebit:  
Fœmina sæpe addit verbis periuria falsis:  
Fœmina si proba non, cur non sine honore tegatur:  
Fœmina ceu vitæ est, ita prodiga creditur æris:  
Fœmina nil nouit, vult capta cupidine rerum:  
Fœmina sæpe fidem gemmis, & vendidit auro:  
Fœmina damna tulit, vitæq; pericla creauit:  
Fœmina turbat herum & famulas nimis emula fidas:  
Fœmina trux nunquam non caussa caputq; malorum:  
Fœmina bile feris immanior omnibus atra:  
Fœmina crudelis certat feritate Leæne:•

C

Vltimus



Vltimus hos inter retulit : noua quando marito  
Nupta nouo, nihil hic, ut tale queratur, habebit.  
Iuppiter humanis in rebus ludit, & illum  
Sunt penes hæc solum vasti moderamina mundi :  
Arbitrioq; suo disponit singula, quæ sunt,  
Quæq; velit fieri, quæq; ante hæc secla fuêrunt  
Et vitæ, & rebus, sinemq; laboribus addit.  
Velle manu in nostra non est, verum ætheris alti.  
Viuimus inq; diem mortali stirpe creati,  
Ire iubente D E O, certa tamen omnia lege,  
Spes alit optantes votis meliora, nec ulli,  
Quamuis decipiat multos, fiducia cedit.  
Præcipit hic sibi spe venturæ munera lucis  
Usuramq; diu, sed non sic fœdere cautum est  
Parcarum, immò breuis rumpunt fera stamina vitæ.  
Mox alius bis sex ut Sol lustrauerit anno  
Signa actò, magnos farris vel sperat aceruos,  
Vel grauida nummos ut contempletur in arca,  
Affore tempus ait : quod idem trahit omnia secum.  
Scilicet is rerum & fortune voluitur ordo,  
Ut vix credentis caput occupet ægra senectus :  
Hic corpus macerando S V V M tabescat edace  
Cura : alium aduerso mittat sub tartara Pluto  
Tristia Marte : sali spumantis at ille procellis,  
Fluctibus & tandem varijs agitatus obire  
Cogatur, tanti ut nequijt vim exire pericli :  
Pars (usu data quæ nobis) abrumpere vitam  
Inuisam tentet laqueis, furialibus ausis.  
Pessima sors vitæ, rerumq; miserrima talis.  
Tunc Agamus, dictus fuit antè Potitius idem,  
Pròh ait, esse potest quis me felicior vno?

Detur



Detur in uxorem ne talis, habere vel illam  
Cogar, ab insidijs ita semper vixero tutus.  
Audij & hæc memori dicta olim mente notavi:  
Sunt mala terna: Mare, Mulier, violentus & ignis.  
Seq̃, ita rem vestrum quis non expertus habere?  
Te præter: qui te thalamos intrasse recentes  
Iactabas, nec dum mores didicisse marita.  
Anne placet? videas, animo quæ voluat, & in te,  
Certus ut explores, qualis sit deinde futura?  
Si libet, accersi iubeas, & cætera turba  
Præstet idem, quarum præsens modò copia detur.  
Condixere viri: famuli mittuntur vtrinq̃,  
Temporis interea potum iuuat esse Nepotem.  
Ergo ait: ô socij dictis aduertite mentes:  
Nunc vos hortor ego, mihi mos erit ille gerendus  
Quilibet ut tentet fluidos haurire liquores.  
Namq̃ mihi communis erit pars magna laboris.  
Hoc verò virtutis erit, si quisq̃ virorum  
Rectè præbiberit sciteq̃, & sæpè vel illi  
A leua, dextraue, vel è regione sedenti,  
Et plenis alios potu irritauerit urnis.  
Æquè epulas inter potis est vir fortis, in ipso  
Ac bello, fuerit cui mens decernere pugna,  
In qua degeneres animos timor arguit anceps.  
Hic vir hic est, milesq̃ bonus, quicumq̃ paratus  
Nunc hoc, nunc alio cratère salutat amicos,  
Atq̃ vacans epulis conuiuas excitat omnes,  
Autor & est, auidis dextris ut pocula sumant.  
Viuerè nemo mihi tales persuaserit vnquam,  
Qui nunquam indulgent genio, raròue fruuntur  
Muneribus Bacchi largis, Cererisq̃ benignæ.



Quinetiam superi multo conuiuia luxu  
 Miscuerint, & ego dictis assentior illis:  
 Vtilitate minor certè haud Semelèia proles,  
 Quam (licet hìc Codrus ~~mutet~~) Lyparèius heros.  
 Tunc tibi pulsator Cytharæ resonantis habetur,  
 Ad cantusq; solent nymphæ celebrare chorèas.  
 Iam tibi, iamq; cupis pulcræ placuisse puellæ,  
 Præcentum cupit hæc alijs formosa videri.  
 Imperio matris dat signa Cupido fauoris,  
 Compertum est, Veneris iuuenes in prælia sæpe  
 Ausos: est grauis hæc aliq; in parte iocosus.  
 Quare nunc hausto perfusi nostra liquore  
 Tempora lætemur: præsens quia nemo scit hora,  
 Et dubium est, an lux eadem reditura sit unquam.  
 Nec mora: dicta vitro ter & amplius illa probanti  
 Exhausto, toties respondent ordine fratres  
 Iurati, toties sonuèrunt omnia plausu.  
 Detur, ait rursus, quæ plena stat amphora, detur,  
 Concipit haud alius si tantum in pectore robur.  
 Autor opus: solidamq; fidem pars cætera præstet.  
 Vas quodcunq; vides animo tibi sæpe Potiti  
 Perspecto, quantumq; vides, iterumq; propino.  
 Responde. Posthac iungentur in ordine bini,  
 Vt pede pes (PLACET hæc sententia) stetq; viro vir.  
 Ille fide fallit, potu qui fallit amicos:  
 Qui potu, falletq; fide: SIT IS INCLVTVS EXLEX.  
 Seq; inter varijs (ne persequar omnia) certant  
 Carminibus, miscentq; sales, tolluntq; cachinnos.  
 Tantus amor, fratrumq; fuit concordia tanta,  
 Quilibet vt cuperet fieri illi, atq; illius esse  
 Diceret, atq; dari carchesia plena iubèret,

Que



Quæ libare mero spumantia debuit ipse.  
Audisses quoties: date pocula: porgite pocula?  
Noctis erat medium, quo lumina rara micare  
Vidisses, & se lunam candore per ipsas  
Ædibus insertas plenam fudisse fenestras.  
Imperiosa ~~fuit~~ præstò est nova nupta ~~Nepotis~~ recentis.  
Ista, mero, somnoq; grauem titubare maritum  
Vt vidit, nec eum potuisse, hærente palato  
Suppressaq; diu lingua, edere paucula verba:  
Vah quibus ausa fuit vanis incessere dictis  
Criminis autorem? quanto suffusa veneno  
Lingua fuit? quoties eadem per iurgia dixit?  
Attonito similis, turbatus turbine tanto  
Iuppiter ò dixit: noua quæ? si vera locuti  
Sunt queruli nuper præsentis numine firma,  
Ille notam fulgore dedit, tonitruq; per auras,  
Accipio, ista, refert, sunt infelicia signa.  
Vtq; parum ad sese redijt, minitare quid? inquit.  
In me cur ausis conuicia fundere demens?  
Ergò tui tandem das omen tale fauoris?  
Institit ista. Alie veniunt ad iurgia bina.  
Deq; furore suo vult neutra remittere quidquam.  
Vt doleant oculi, & fiat mulieribus agrè:  
Illi inter sese vestes, & nomina primum,  
Dein animum irati commutant: coniugis osor  
Ad scelus hortatur: caua litibus atria feruent:  
Ingerit hæc maledicta viro, qui veste sedebat  
Indutus vili, veteriq;, nec vllius assis.  
Parcius, ille refert, tamen obiecisse memento.  
Nec verò desistit atrox, sed multa minatur,  
Insuper hæc addens: cur non sua fulmina mittit



Iuppiter, & tangit, quoscunq; videmus adesse?  
Tum verò in promptu quæ cuiq; fuere, capessunt  
Virisse, rerens Arma, ~~per~~, turbatus vulnere mentis,  
Inuolat in sparsos humerum per utrunq; capillos.  
Siccine respondes? neq; enim pudor ullus in ore  
Nunc sedet infreni: quæ te dementia cepit?  
Tunc os torqueri demum, toruumq; videri  
Et spargi in medium felle & lita verba veneno.  
Nec mora: sublato cratère petiuit eandem.  
Ut ruit ad terram lapsu grauiore supina,  
Ecce vir ingeminat plagas, & verbere multo  
Institit, ut facies, ceu Bulla tumesceret altè.  
Verum hanc pœnituit facti, veniamq; poposcit  
Supplice voce, fuit sed inexorabilis ille.  
Alter at in medium, velut actus turbine quodam  
Iniecit sese, satius vitasse fuisset.  
Arripuitq; manu multum clamantis utraq;  
Atq; repugnantis collum, ira viribus ardens.  
Fauces immani quoties diduxit hiatu?  
Cæsa modis miris frontem, pectusq;, femurq;?  
Alterno ferijt terram pede turgida corpus.  
Fregit ut illisum saxo crus tertia duro.  
Ut superi auxilio veniant, hominesq; precatur:  
Aduolat ignarus rerum, ferit atq; iacentis  
Brachia, quæ tandem multa vi lesa fatiscunt.  
Saucia pars querulis implebat vocibus auras  
Aufugiunt famule magno clamore, metuq;  
Intrepidant, vigiles memorant hæc acta platæis.  
Armis incurrit densis vicinia tota,  
Quoq; fuga interea certam quærente salutem.  
Dantq; fugam autores pariter certaminis huius

Hic



Hic timet, is viridi furtim latet abditus agro.  
Iam super vnus erat pransus, pænisq; relictus,  
Ille negat factum, impediunt ne vincula captum.  
Sed nil profecit. Quos non diuellere possit  
Mox videas nodis aratis brachia nexa.  
Tuncq; fatetur inops mentis, sequiturq; ministros.  
At medicas adhibere manus ad vulnera coniunx  
Vna coacta fuit: reliquæ ducuntur in edes,  
Verberibus, simul & curis ingentibus agra.  
Tanta infelices hymenæos damna sequuntur.  
Tantum hûc vsq; malum studui vitare cauendo,  
Hæc memini, meminisse iuuat, dum vita manebit.  
Nunc quoq; si quid habes, te non audire grauabor,  
Vt res, si tempus, breue quod, patiatur. Iola  
Ille sed his breuib; fratri respondit amicè:  
Auditu certè retulisti mira, fereq;  
Sunt maiora fide. Sed enim Philetære tenerem  
Et grauiora tuis, & quæ contraria plane,  
Atq; probata satis naturæ exempla, sacroq;  
Sum certus verè reperiri in codice scripta.  
Illa reseruabo, donec mihi laude vehetur  
Coniugium, meritò quod inuitiam honestus, amansq;  
Religionis: habens idem sibi Numen amicum,  
Rebus & in tota quod vita in vota vocauit.  
Gratulor inde nouæ sponsæ, Ianog; BEATO  
Nunc iterum sponso, re nomen & omen habenti.  
Iussu capta tuo benè verte, & numine firma  
Præsenti, cuius regni velut ille beatus  
Est huius, quoq; CHRISTE tui post effice ciuem.  
Tempora post aliquot veri da pignora amoris,  
Olim quæ magnos cari Genitoris honores

Diuiti-



Diuitiasq̄, & aui messes mirentur opimas:  
Et sint heredes horum post fata relictī.  
Sed quid Iō strepitus sibi vult, cursusq̄ citatus?  
Buccinaq̄, inflato sonitum nunc increpat ære?  
Quin accedamus propius, repetamus & inde  
Circum, qui pompa celebris, numeroq̄ bonorum.  
Ecce autem studio spectandi ijt obuius omnis,  
Parsq̄ urbis melior, degens in monte niuoso.  
Ecce forum hinnitu per opertum sæuit equorum  
Æther? utq̄ gemunt currus? resonantq̄ sonoro  
Plausu cuncta? alij iuuenum superare citato  
Vt truncos, & aquas saltu transmittere tentant?  
Attractisq̄ lupis luētantia temperat ora,  
Pars ibi que gaudet doctos pede carpere gyros  
Excipit en multo peregrinos sponsus honore.  
Ergo veni felix IANO noua nupta beato:  
Tuq̄ iterum iam sponse animos in gaudia tolle:  
Dum Zephyre & spiras, cade dexter amantibus vsq̄.

Δ T Θ.



34  
F 4018

ULB Halle  
002 717 190

3



TA 702










# C A R M E N

## S C R I P T V M

In Honorem nuptiarum Optimi, ac  
 Honestissimi viri, IOHANNIS F. I  
 SELING, Cuius in montibus niuosis laudatissimi,  
 matrimonium contrahentis cum pudiciss. virgine E L I S A -  
 BETHA, Filia LVDOVICI PVDEVVITZ cuius & merca-  
 toris Fribergensis VI Idus Maij Anno

CIO IO LXXIIX.

Autore Alexandro Spanfel Melanurino.



Lipsiæ Iohannes Rhamba excudebat.

*Egiltius schönerer dono an  
 ab Anthon 9 Aug 1711*

